

Exvii 250)x 10 kot

Faint handwritten mark

75

EXUL FORTUNATUS

Extra hæreditarium Patris Regnum,



Per spontaneum pro CHRISTO exilium

Olim in Iaponia

Crucis suffragio, ad Sceptra Crucifixi

Handwritten note: Syd 3 XXIV 59

PROMOTUS

PAULUS SCIUNGA PRINCEPS

Nunc iterum

Inter lugubres Regis Dolorum ferias,

A Perillustri, Magnifica, ac Pranobili Iuventute Poëtica,

In Alma Univerſitate & Academia Vilnensi Societatis IESV.

Triftiorem in Scenam

REVOCATUS

Anno, Exulantis mortali in Carne, DEI Immortalis 1713. 5. Aprilis.



FUNDAMENTUM.

Fertilis in Martyrij laureas ager Iaponicus, sæpius etiam Christi Confessoribus, Regales pullulavit in adoras. Argumentum sanè dedit vel in solo (inter trecenta aliorum, Regum Floribus inscripta Purpuratorum Nomina) Principe PAULO SCIUNGA; qui contra severum Cæsaris Patrisq; mandatum baptizatus, cum cæpisset zelosissimè idololatriam extirpare, extrema sibi ob id Parente Rege minante, sponte se in exilium, quod speraverat, abjectis Regiæ dignitatis insignibus confert, solâ in comitem, afflictionisq; suæ solatium assumptâ Crucifixi Christi effigie, extra hæreditarium Regnum felicius fidereis asserendus sceptris Exul Fortunatus. P. Dan: Bartoli Hist: Iap: p. 1. l. 5.

PROLOGUS.

Superstitio Iaponica, Genium Pauli Principis ad Paterni Regni invitans thronos, Flaminiam signat per substrata Martyrum ossa: sed ad Religionis Orthodoxæ adventum, inter dehiscantis terræ flammam absorbetur; canente Pæanem Religione, & fortunatiorem Appiam, ad cælestium Regnorum diademata, per Cruces monstrante, docenteq; in Cruce Christi Regnum concludi.

PARS PRIMA.

Inductio I. Sciunga Princeps major-natu, meditante Patre Iamata, ob ætatem provectam, Regnum in alterutrum Filiorum devolvere, ut exploret affectus Procerum, renuntiat simulatè successioni in Paternum Regnum, ultimæq; declarationis loco subdit: *Caduca sceptrâ, nostra non tanget manus.*

Inductio II. Dimissis interea Proceribus, convenit Magum, consulturus an sperare debeat successiorem in Paternos thronos; à quo, ancipiti præfagio in spem erigitur, dicente: *Extra Paterna Regna, Te Regnum manet.*

Inductio III. Digressus à Mago Sciunga, dum præfagas voces mente revolvit, ad Parentem Regem per Ephebum evocatur, plenus spei, à Patre sibi successiorem in Regnum conferendam.

Inductio IV. Iamata Rex senio gravis, convocatis Regni sui Proceribus, successorem sceptris designaturus, proponit utrumq; Filium, alterutrum liberè ad Regales fasces promovendum. Eligitur concordibus omnium suffragijs Kazusa minor-natu, utpote addidior sacrilegis Iaponum facris. Adhortatur Neo-Electum Parens, ut avitam Iaponum Religionem, juxta Decreta Cæsaris, per extrema Christianorum exitia tueatur: Sciungam verò dubio solatur omine dicens: *Et tu Paterna sceptrâ si voles, reges.*

Inductio V. Sciunga advertens se exclusum Paterno contra spem omnem Regno, agitur in furorem; dumq; præ iracundia, extrema Patri & Fratri minatur, incidit in Christianum occultum, natione Lusitanum, Christiernum nomine: cum quo inita familiaritate (dummodo iræ & vindictæ satisfiat) jurat, traditurum se cum Patre & Fratre Regnum Lusitanis, imò & seipsum. Promittit suam operam Christiernus: insinuans tamen id periculosum esse, si Patri innotuerit, ex parte verò Lusitanorum ferè impossibile, ob potentiam Parentis Regis, malè ominosis præcavet verbis: *Regnum capeſſes, sceptrâ cum prendes crucis* (cruce intelligens, quâ rebelles puniri solent) *lymphaſq; durus quando stillabit silex:* quibus dictis, digrediuntur.

C H O R U S.

Religio, faviente in Iaponia persecutione, ex cæsorum Christianorum capitibus erigit Capitolium, ad illudq; invitat Genium Sciungæ: quem Regalibus exornatura insignibus, pro aureo diademate, spinam capiti imponit tæniam, pro Sceptro Crucem manibus inserit, atq; pro Purpura candidum humeris circumdat pallium: demonstrans, gratiæ baptismalis conscientiæq; candorem purpuram esse, quæ in cælestis Regni candidatos, mortales authorantur.

P A R S S E C U N D A.

Inductio I. Sciunga inter ruminandum perplexa Christiæni verba: *Regnum capeſſes, &c.* sopore pressus, videt per somnium, à Genio Parentis Iamatae sibi offerri sceptrum, dicitque: *Sceptrum capeſſe, purpuram candor dabit:* quod dum libens arripit, in evigilantis manibus in Cruce non sine ingenti stupore transmutatur: putatq; jam verificari illud: *Regnum capeſſes, sceptra cum prendes crucis* item illud: *Extra Paterna Regna, Te Regnum manet,* scilicet somnium.

Inductio II. Superveniens Christiænus, audito Sciungæ somnio, gratulatur illi (supra spem impleto illo: *Regnum capeſſes, sceptra cum prendes crucis*) donatum cælitus in Cruce sceptrum. Addens verò: *Ad sceptra Regni Diva Crux pandet viam,* hortatur ad suscipiendam Christi Religionem per Baptismum, annuente facile salutari consilio Principe, ut verificetur illud, quod juraverat, *traditurum seipsum Lusitanis:* cum scilicet tradit se Lusitano in Fide Christi instituendum.

Inductio III. Deducitur Sciunga ad lateñtem inter prærupta montium (propter persecutiones) Sacerdotem etiam Lusitanum: à quo per Baptismum frigidâ ablui petit ardentissime. Lamentante Sacerdote ob defectum aquæ, dum se omnes convertunt ad orationem, Sacerdos percussâ Cruce rupe, educit aquas miraculose; quibus ablutus salutariter Princeps, dum candida veste induitur, gaudet impleri illud: *Purpuram candor dabit.* Item *lymphasq; duras quando stillabit flex.*

Inductio IV. Rediens Sciunga à suscepto Baptismo, incidit in Fratrem Kazufam, pro Tribunali sedentem, Cæsareumq; decretum mortis contra Christianos per Præconem promulgantem: quem dum liberè ob crudelitatem arguit, Kazufa indignabundus, se proripit, delaturus Patri, quod sit Christianus: ad quas minas imperterrito animo, secutorum se illum ad Patrem Sciunga asserit.

C H O R U S.

Iaponia, sæcunda Purpurarum & Purpuratorum Mater, applaudit felicitati suæ, tot ex se prodijſſe cælestis Purpuræ candidatos, quot Martyrij laureâ Coronatos (Coronatorum autem numerum, 44. annis persecutionis superasse 38581, ex quibus fuere 87. è Societate IESU, testatur P. Franc. Kardim in Floſculo è Floribus Iapon:) Religio verò ad uberiores Coronarum & Fidei Christianæ messem, è Vulneribus Salvatoris educit Rubiconem, quo Iaponiæ irrigata novalia, sæcundius succrescant in laureas, Martyrum & Orthodoxæ Ecclesiæ coronarias.

P A R S T E R T I A.

Inductio I. Kazufa accedit Patrem, accensurus illum contra Fratrem, quem Christianum esse indubitate asserit. Jubetur proinde à Patre extemplo adesse Sciunga, ut se à suspitione purget.

Inductio II. Advenit Sciunga, fateturq; liberè se Christianum esse. Excandescit irâ Iamata Pater, extrema minatur nisi relipſcat, intrepide scelus detestante Sciunga. Vertit deinde furorem in preces & blanditias, sed frustra. Kazufa etiam Frater Regnum se illi cessurum spondet, modò desciscat à Christo, ut verificetur illud: *Paterna sceptra si voles, reges:* detestatur Sciunga, verius modò dicens: *Caduca sceptra, nostra non tanget manus.* Urgente Patre defectionem, adferuntur idola Xacæ & Amidæ, sed hæc ad Crucis aspectum allisa solo, in cinerem comminuuntur.

Inductio III. Insaniente præ ira Patre, conclamantibus in necem Sciungæ omnibus, jubetur per fatellites abripi in theatrum suppliciorum, ut crudeli spectaculo terreatur, sed nullo effectu; gratulante sibi potiùs, quod brevis à Patre ad crucem fortasse condemnandus verificandum arbitretur illud: *Regnum capeſſes, sceptra cum prendes crucis:* item illud, quod à Genio Patris audiverat *Capeſſe sceptra.* Videns Iamata in irritum blanditias minasq; suas recidere, affectu etiam, quo Sciungam proſequabatur peribitus, dies aliquot ad deliberationem concedens, abscedit.

Inductio IV. Relictus Sciunga solus, lamentatur frustratum se coronâ Martyrij, consequenter & Regno, quod per Crucem se consecuturum speraverat: abiicit Regiæ dignitatis insignia, solâ contentus (quam in Baptismo susceperat) candoris Purpurâ: relinquit idololatricam Patriam, multa ei vaticinans, ac præsertim fore olim, ut per IESU Socios, Regi Dolorum tota subijciatur. Demum solâ in comitem, ac afflictionis suæ solatium, assumpta Regis Crucifixi effigie, ut impleatur illud: *Extra Paterna Regna, Te Regnum manet,* item: *Ad sceptra Regni Diva Crux pandet viam,* sponte se in exilium quod speraverat confert, extra Patriam, cæleste Regnum quæsiturus, illudq; quod in Baptismo invenerat, majore cum securitate conservaturus Exul Fortunatus.

E P I L O G U S.

Apodosis Elegiaca, Regi Dolorum intra mortalitatis exilia, ad Crucis Sceptra promotò, cordialem compassionem instituit.

Ad Majorem DEI Immortalis, mortali in Carne Exulantis Gloriam,
Ejusdemq; Matris Dolorosissimæ Honorem.